

dem recidit uterque sensus, ut significetur mors impiorum nunquam finienda.

Vers. 15. 15. ET DOMINABUNTUR EORUM JUSTI IN MATUTINO, ET AUXILIUM EORUM VETERASCET IN INFERNO A GLORIA EORUM.

Pergit narrare miseriam impiorum ad inferos descendentium, ac dicit eos « in matutino, » id est, in principio novi ac futuri sæculi, quod incipit in resurrectione universali, futuros omnino justis subjectos: justis enim in die novissimo, qui etiam erit principium futuri sæculi, iudices erunt impiorum, eisque in æternum dominabuntur; et nihil erit, quod impio eo die adversus justos juvare possit: omne enim « auxilium eorum, » quod in robore et potestate situm erat, « veterascet, » ac marcescet, atque inutile fiet in inferno, « a gloria eorum, » id est, post gloriam eorum, quam in hoc mundo habuerunt, dum gloriosa palatia inhabitarent. Illud, in matutino, demonstrat tempus sæculi totum esse noctem quandam. Unde dicit Apostolus Rom. xxii: « Nox precessit, dies autem appropinquavit. » In nocte hujus sæculi videtur sæpe injustitia prevalere; sed in matutino apparebit, ubi sint justis, et ubi sint iniusti. In hebræo secunda pars versiculi longe aliter haberi videtur; sic enim vertit S. Hieronymus: *Et figura eorum conteretur in inferno post habitaculum suum*: aliud est enim auxilium, aliud figura, et aliud gloria, aliud habitaculum. Sed de prima voce non est magna difficultas: vox enim hebraica צור *tsur*, quamvis figuram significare possit, a verbo יצר *ysar*, quod est formare, tam proprie *tsur*, que vox hoc loco habetur, significat petram, metaphoricè robur ac potentiam. Itaque recte Septuaginta Interpretes verterunt *auxilium*, quod in viribus et potentia consistit. Altera vox, que hebraice dicitur צבול *zbul*, videtur proprie significare habitaculum, non quodcumque, sed gloriosum, quale est cælum: habetur enim hæc vox in duobus tantum locis, *Isai. cap. lxxii, 13*: « Attende de celo, et vide de habitaculo sancto tuo, et gloriæ tuæ. » Et *Habac. cap. iii, 11*: « Sol et luna steterunt in habitaculo suo. » Hoc igitur loco sanctus Propheta opponit infernum, habitaculum videlicet obscurissimum et vilissimum, domibus gloriosis et splendidis, quas in hoc mundo impii possidebant. Septuaginta vero Interpretes verterunt, a gloria ipsorum, volentes per gloriam significare gloriosas domos, quas impii cum inferno commutant; hic igitur totius versiculi sensus erit: « Et dominabuntur eorum, » impiorum videlicet in inferno positurum, « justis in matutino, » id est, cum illecescet dies resurrectionis, atque initium sæculi futuri; et potentia impiorum « veterascet, » id est, conteretur, et inutile erit, *instur vestis consumptæ et lacere*. « In inferno a gloria eorum, » id est, quando post gloriam splendendorum habitaculorum, infernum teterrimum et vilissimum ha-

bitaculum etiam corporaliter habere incipient.

16. VERUMTAMEN DEUS REDIMET ANIMAM MEAM DE MANU INFERI, CUM ACEPERIT ME.

Addit nunc quæ sit futura sors piorum, in quorum numero se ipse ponit, quasi dicat: Impis quidem accidet id quod dixi; verum mihi, meique similibus contrarium eveniet. « Deus enim redimet animam meam de manu inferi, » id est, liberabit me, ne ab inferno detinear, quando veniens assumet me. Videtur hoc loco prædicere redemptionem quæ est in Christo Jesu, et descensum ejusdem Christi ad inferos: tunc enim persoluto pretio sanguinis, redemit de manu inferi animas justorum, cum descendens ad inferos accepit eas, et ad se assumpsit. Sic veteres Patres, Basilii, Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, et Euthymius. Potest tamen cum Chrysostomo hæc locus intelligi de inferno inferiore, ubi torquentur anime impiorum, ut sensus sit: « Deus redimet animam meam de manu inferi, » id est, non patietur Deum animam meam rapi a manu inferi, nec deduci ad loca pœnarum, cum de hoc mundo per corporis mortem accipiet me.

17. NE TIMERIS, CUM DIVES FACTUS FUERIT HOMO, ET CUM MULTIPLICATA FUERIT GLORIA DOMINI EJUS.

18. QUONIAM CUM INTERIERIT NON SUMET OMNIA, NEQUE DESCENDET CUM EO GLORIA EJUS.

Ex dictis concludit per modum exhortationis, non esse timendam potentiam divitum hujus mundi, quoniam brevissima est: alloquitur autem justos pauperes, atque a divitibus hujus mundi oppressos. « Ne timearis, inquit, cum dives factus fuerit homo, » id est, ne formides potentiam ejus, ne ob timorem temporalis potentie forte offendas æternam omnipotentiam Creatoris; neque etiam timeas, si forte videris, non solum hominem inimicum tuum divitem esse factum, sed etiam « multiplicatam gloriam domus ejus, » per numerosas familias, et multiplices dignitates propinquorum ejus. « Quoniam cum interierit, » per mortem videlicet, quam nemo effugere potest, et que divitibus et pauperibus communis est, « non sumet omnia, » id est, nihil sumet, nihil secum asportabit eorum, que in hoc mundo possidebat; « neque descendet cum eo gloria ejus, » id est, non comitabuntur eum ad inferos descendentem propinqui, vel famuli, et multo minus honores et dignitates. Itaque divitiæ et gloria impiorum ad brevissimum tempus durant; paupertas et confusio sempiterna sunt. Contra vero paupertas et confusio piorum momentanea sunt, opes et gloria manent in sæculum sæculi; quod Apostolus pulchre expressit, cum ait *II Cor. vi*: « Quasi tristes, semper autem gaudentes. » Tristitia enim piorum non est tristitia, sed quasi tristitia, qualis est ea, quam somniantes aliquando patimur:

Christi descensus ad inferos prædicatur.

Vers. 17.

Vers. 18.

Tristitia piorum non est tristitia.

bitalia vero non quasi lætitia, sed vera solidaque lætitia est, nunc quidem in spe, postea vero in re: et contra, lætitia impiorum de carnali voluptate, vel gloria, non est lætitia, sed quasi lætitia, quali fruuntur dormientes, dum se possidere, que diligunt, somniant. Tristitia autem in gehenna non erit quasi tristitia, sed verissima, certissima, ac sempiterna tristitia.

19. QUIA ANIMA EJUS IN VITA IESUS BENEDICTUR: CONFITEBITUR TIBI, CUM BENEFECERIS EI.

Reddit rationem cur gloria impiorum non committetur eos ad inferos. Quoniam, inquit, sicut ipsi Deum laudare consueverunt, quando eis beneficia temporalia tribuit: ita Deus in hac solum vita eis benedicere solet. « Anima ejus in vita ipsius benedicetur, » id est, anima impii, sive ipse impius, in hac solum vita benedicetur, tum a Deo per beneficiorum temporalium collationem, tum ab hominibus per laudationes, sive potius adulationes. « Confitebitur tibi, » id est, et ipse vicissim confitebitur tibi, hoc est laudabit te, tibi que gratiasaget, « cum benefeceris ei; » sin autem aliquid mali illi evenire permiseris, continuo blasphemabit te: non enim ex illis est, qui dicunt, *Psalm. xxxiii*: Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo; » vel *Job. ii*: « Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum. » In hebræo habetur active בריך *berichet*, pro quo habemus in græco ἀνευθεύω *aneuthewo*, et latino benedicetur; sed idem est sensus. Sic enim legi debent verba hebraica: *Quia animam ejus in vita ipsius benedicet*, ex quo intelligimus illud, benedicet, referri ad Deum, ac per hoc etiam illud, benedicetur anima ejus, referri debet ad Deum, ut nos supra exposuimus. Idem autem sensus est, sive legas, *anima ejus benedicetur a Deo in vita ipsius*, sive *animam ejus benedicet Deus in vita ipsius*. Quod autem sequitur: « Confitebitur

tibi, cum benefeceris ei, » in hebræo legitur, *cum benefeceris tibi*; sed ex litterarum similitudine corruptus videtur textus hebraicus; nam Septuaginta Interpretes non legerunt *fac*, quod est tibi, sed *fac*, quod est ei, et hoc modo posteriore legitur in omnibus codicibus græcis et latinis, et est sensus multo facilius et clarior.

20. INTROIBIT USQUE IN PROGENIES PATRUM SUORUM, ET USQUE IN ÆTERNUM NON VIDEBIT LUMEN.

Impius in hac vita in luce honorum et gloriæ vivit, Deo illum beneficiis temporalibus replente, ut vel remuneret aliqua bona opera ejus, vel alliciat ad respicientiam et conversionem, sed in alia vita apponitur (ut Scriptura loquitur) ad patres suos, ut eos sequatur in suppliciis, quos secutus est in flagitiis, « introibit, » impius videlicet, post hanc vitam, « usque in progenies patrum suorum, » id est, introibit ad ea loca, ad que illum præcessit progenies patrum suorum; « et usque in æternum non videbit lumen, » quia justo judicio manebit in æternis tenebris, qui nimirum delectatus est in luce honorum et gloriæ temporalis, et lucem gloriæ cælestis non quæsit.

21. HOMO, CUM IN HONORE ESSET, NON INTERLEXIT: COMPARATUS EST JUMENTIS INSIPIENTIBUS, ET SIMILIS FACTUS EST ILLIS.

Repetit Propheta versiculum duodecimum, tum ut ostendat præcipuam causam miserie hominum esse insipientiam, et merito homines plurimos in æternum lumine carituros, atque in tenebris futuros, quia lumine rationis uti non voluerunt; tum etiam, ut non miremur, si pauci omnino ænigma propositum in hoc Psalmo intelligant. Id enim accidit, quia « homo » propter peccatum « comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis. »

## PSALMUS L

### SECUNDUM HEBRÆOS.

V. v. — 1. *Psalmus Asaph.*

Deus deorum Dominus locutus est, et vocavit terram.

1. A solis ortu usque ad occasum;
2. Ex Sion species decoris ejus.

3. Deus manifeste veniet: Deus noster, et non silebit.

Ignis in conspectu ejus exardescet, et in circuitu ejus tempestas valida.

4. Advocabit cælum desursum, et terram, discernere populum suum.

V. s. n. — *Canticum [h. Psalm.] Asaph.*

Fortis Deus Dominus locutus est, et vocavit terram: ab ortu solis usque ad occasum ejus.

De Sion perfecto decore Deus [al. tac. *Deus*] apparuit.

Veniet Deus noster, et non tacebit: ignis coram eo vorabit, et in circuitu ejus tempestas valida.

Vocabit cælum desursum, et terram, ut judicet populum suum.

5. Congregate illi sanctos ejus, qui ordinant testamentum ejus super sacrificia.

6. Et annuntiabunt cœli justitiam ejus, quoniam Deus iudex est.

7. Audi, populus meus, et loquar; Israel, et testificabor tibi: Deus, Deus tuus ego sum.

8. Non in sacrificiis tuis arguam te: holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.

9. Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos.

10. Quoniam meæ sunt omnes feræ silvarum, iumenta in montibus et boves.

11. Cognovi omnia volatilia cœli, et pulchritudo agri mecum est.

12. Si esuriero, non dicam tibi: meus est enim orbis terræ, et plenitudo ejus.

13. Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?

14. Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua.

15. El invoca me in die tribulationis: eruam te, et honorificabis me.

16. Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum?

17. Tu vero odisti disciplinam, et projecisti sermones meos retrorsum.

18. Si videbas furem, currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas.

19. Os tuum abundavit malitia, et lingua tua concinnabat dolos.

20. Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, et adversus filium matris tuæ ponebas scandalum. 21. Hæc fecisti, et tacui.

Existimasti inique quod ero tui similis: arguam te, et statuam contra faciem tuam.

22. Intelligite hæc, qui obliviscimini Deum; nequando rapiat, et non sit qui eripiat.

23. Sacrificium laudis honorificabit me, et illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.

*Argumentum.* — Quemadmodum Deus olim in monte Sinai apparuit ut populo suo legem daret, ita hic sistitur in monte Sion, ut legis illius genuinam sensum declararet. Igitur esse hunc Psalmum in exsilio, cum omnis sacrificium cultus cessasset, scriptum, ab hodiernis multis inconsiderate est iudicatum. Stropha quatuor: vers. 1-6, exordium magnificæ; vers. 7-15, non sacrificia, quibus non indigeat, sed pietatem, fiduciam, animam gratam posci Deo; vers. 16-21, adversatur homines, qui, cum vitam vivant facinorosam, leges divinas ore jacent; vers. 22-23, conclusio.

#### 1. Carmen Asaphi.

Deus deorum, Jova loquitur, et vocat terram, ab ortu solis usque ad occasum ejus.

Congregate mihi sanctos [h. misericordes] meos: qui feriunt pactum meum in sacrificio.

Et annuntiabunt cœli justitiam ejus: quia Deus iudex est ipse. SEMPER.

Audi, populus meus [al. popule], et loquar, Israel, et contestabor te. Deus, Deus tuus ego sum.

Non propter victimas tuas arguam te, et holocaustomata tua coram me sunt. SEMPER.

Non accipiam de domo tua vitulum [h. taurum], neque de gregibus tuis hircos.

Mea sunt enim omnia animalia silvarum [h. silvæ]: pecudes [h. beemoth] in montibus millium.

Scio omnes aves montium, et universitas agri [h. ziz dicitur, nomen est avis] mei mecum est.

Si esuriero, non dicam tibi: meus est enim orbis et plenitudo ejus.

Numquid comedam carnem [al. carnes] taurorum, aut sanguinem hircorum bibam?

Immola Deo laudem, et redde Altissimo vota al. tac. vota] tua.

Et invoca me in die tribulationis: liberabo te, et glorificabis me.

Impio autem dixit Deus: Quid tibi est cum narratione præceptorum meorum, et ut assumas pactum meum in ore tuo?

[h. Et tu] Qui odisti disciplinam, et projecisti verba mea post te.

Si videbas furem, consentiebas ei: et cum adulteris pars tua.

Os tuum misisti ad malitiam, et lingua tua concinnavit dolum.

Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, in [al. et adversum] filium matris tuæ fabricabaris opprobrium.

Hæc fecisti, et tacui: existimasti futurum me [al. tac me] similem tui: arguam te, et proponam ante oculos tuos.

Intelligite hoc, qui obliviscimini Deum, ne forte rapiam [al. capiam], et non sit qui liberet:

Qui immolat confessionem, glorificat me: et qui ordinat viam, ostendam ei salutare Dei.

2. E Sione, perfectione pulchritudinis, Deus exsplendet.

3. Venit Deus noster, neque est quod sileat; ignis (fulgurum) coram eo consumit (obvia quæque), et circa eum tempestas (propr. procellosum) est vehementer.

4. Advocat cœlum supra (superne), et terram, ut (ipsis testibus) iudicet populum suum.

5. « Congregate mihi pios (cultores) meos, qui perusserunt fœdus meum cum sacrificiis. »

6. Et annuntiet cœli justitiam ejus, nam Deus ipse est iudex.

7. « Audi, popule meus, ut loquar, Israel, ut testificer contra te: Deus, Deus tuus ego sum.

8. Non propter sacrificia tua redarguam te, et holocausta tua coram me sunt perpetuo.

9. Non est quod accipiam de domo tua juveneam, et caulis tuis hircos:

10. Nam meæ sunt omnes feræ silvæ, et bestiæ (quadrupes) in montibus millium.

11. Novi omnes aves montium, et bestia agri mecum est.

12. Si esurirem, non dicerem tibi; nam mihi est orbis et quidquid eum implet.

13. Num comedam carnem taurorum, et sanguinem hircorum bibam?

14. Sacrifica Deo laudem (gratiarum Levit. vii, 12), et persolve Altissimo vota tua;

15. Et invoca me in die angustiae: eripiam te, tu vero me honorabis. »

16. Et improbo (impio) dicit Deus: « Quid tibi (causæ est), quod enarras statuta mea, et sumis fœdus meum in os tuum?

17. Quum odio habeas disciplinam, et conjicias verba mea post te (ea contempnas).

18. Si vides furem, delectaris consuetudine ejus, et cum adulteris est pars (societas) tua.

19. Os tuum dimittis (solutis frænis) in malum, et lingua tua necit fraudem.

20. Sedes, in (contra) fratrem tuum loqueris, in filium matris tuæ ponis offendiculum.

21. Hæc fecisti, et tacui; cogitasti me esse tui similem: arguo te, et ordino (scelera tua) ante oculos tuos.

22. Intelligite, quæso, hoc, obliti Dei, ne dilacerem, nemine liberante.

23. Sacrificans laudem honorabit me; et qui recte disponit viam suam, eum videre (experiri) faciam auxilium Dei. »

## NOTE.

Vers. 1. Asaphus multis is videtur, de quo I Chron. xv, 17, 19; II Chron. xxx, 30. Nobis similis vero est, vel plures variaeque aetatis fuisse ejusdem stirpis auctores carminum *Asaphicorum*, vel si unicus fuit auctor, eum vixisse temporibus Josaphati, Ochosio et Athalie. *Deus deorum*, etc.; alii, *Deus, Deus Jova*. — Vers. 2. *Exspleudet*, splendidissima luce circumfusus apparet. — Vers. 3. *Neque est, etc.* Alii, *jam non silet, mutus est*. Sit ne ad tonitruum iratum numen comitantium fragorem illud referendum, an ad ipsum quod Deus in eo est ut exerceat iudicium vers. 4, dubium. — Vers. 4. Cf. *Deut.* iv, 26; xxxi, 28. — Vers. 5. *Cum sacrificiis*, propr. *super sacrificiis*, i. e. sacrificiis adhibitis. Cf. *Exod.* xxiv. Deus hic loquitur. — Vers. 6. Alii,.... annuntient quia Deus est iudex i. e. justus. — Vers. 7. *Pro ut... ut, alii et...* et cum futuro. *Testificet in te*: Ewaldus, *graviter te admonent*. — Vers. 8. *Sacrificia tua*, quasi ea mihi non offerres. *Et holocausta*, etc. Rosenmullerus, neque ob *holocausta tua*, quae sunt *coram me iudget*. — Vers. 10. *Millium*, scil. *bestiarum*, ubi mille degunt animalia. Maurer, *in montibus millibus*; alii, *in montibus bovis*, ubi multae degunt boves, qualis erat mons Basan. — Vers. 11. *Bestia*, a *וית מוורי*, omne quod movetur; alii, *doreas*, gall. *gazelle*, ob celerem motum. — Vers. 16. *Improbo pietatis simulatori*. *Pactus*, pro praecipit divinis. — Vers. 18. *Delectaris*, etc. Alii, *consentis ei*. — Vers. 20. *Sedes*, inter gregales tuos; alii de consensu in iudicio verba interpretantur. *Offendiculum*; alii, *infamiam*. — Vers. 21. *Esse, propr. essendo ero*, utique ero. *Similem*, ita ut vitia tua plectere nolim. Contrarium ut ostendam, ecce te jam redarguo, vel redarguam, facinora tibi tua objectans. — Vers. 22. *אני אפני, אפני, scdit, bene scdit, huc belle! pntchre!* — Vers. 23. *Disponit*, propr. *ponit*, breviter dictum pro eo quod plene est *Isai.* xii, 20. Alexandrinus legit *sham, ibi*.

## BELLARMINI EXPLANATIO.

## PSALMUS XLIX.

## TITULUS ET ARGUMENTUM.

*Psalmus Asaph.*

In priore libro *Paralip.* cap. xvi, legimus Asaph fuisse principem Cantorum a Davide constitutum. Utrum autem ipse Psalmos composuerit, qui inscribuntur nomine ejus, an solum cecinerit, vel canenti praefuerit, non est omnino certum, ut praefatione diximus. Argumentum Psalmi est duplex Domini adventus: unus ad predicandum, alius ad iudicandum; unus occultus et in humilitate, alter manifestus et in majestate. Et quoniam in utroque adventu Christus congregat homines, vel ad fidem, vel ad iudicium; recte Psalmus inscribitur, *פניא אסאפ*, qui interpretatur *congregans*. Addit et declarat Propheta, quibus de rebus potissimum redditorum simus rationem in die iudicii: proinde Psalmus utilissimus est.

## EXPLICATIO PSALMI.

## Vers. 1. 1. DEUS DEORUM DOMINUS LOCUTUS EST, ET VOCAVIT TERRAM.

Incipit a primo adventu, ac dicit Dominum locutum esse ore proprio, qui per ora Prophetarum antea loquebatur; et ad concionem suam vocasse non Iudaeos tantum, sed omnem terram, id est, omnes inhabitantes terram; quod per Apostolos suos fecit, siquidem « in omnem terram exivit sonus eorum, » ut dicitur *Psalm.* xviii. Dicitur autem hoc loco Dominum esse « Deus deorum, » ut intelligamus Christum esse Deum verum, veri Dei Filium, qui eandem cum Patre divinitatem

habet: una enim et sola esse potest vera divinitas, multi autem sunt dii, vel per errorem et estimationem, ut dii gentium, « qui demonia sunt, » ut dicitur in *Psalmo* xcvi; vel per gratiam adoptionis, ut sancti angeli et sancti homines; vel per similitudinem, ut principes et iudices terrae. Sed omnes isti dii subjecti sunt uni et soli Deo vero, qui ideo dicitur « Deus deorum. » Ex hebraeo S. Hieronymus vertit, *fortis Deus Dominus locutus est*; sed voces hebraeae utramque versionem patiuntur, et sensus utriusque lectionis est verus, ad propositum rerum dicendarum. Nam si respiciamus primum adventum, Christus Dominus Deum

Christus  
versus  
Deus est  
et veri  
Dei Fi-  
lius.

deorum se ostendit, cum terribilis fuerit demonibus, qui sunt dii gentium, et ipse per adoptionis gratiam multos fecerit deos; et ipse idem fortis Deus fuit, cum hostem generis humani per crucem devicerit, et vasa ejus diriperit. Si respiciamus secundum adventum, « Deus deorum » rectissime dicitur, quoniam Iudex iudicium omnium erit; nec minus proprie conveniet ei titulus fortis Dei, cum diabolum et omnes asseclas ejus, sive demones, sive homines in gehennam verbo detrueret, et vetibus sempiternis portas inferni clauderet. Ait igitur: « Deus deorum Dominus locutus est, » id est, Dominus Christus, qui est Deus deorum in hunc mundum adveniens, locutus est verba Evangelii sui. « Et vocavit terram, » id est, et ad sermones suos audiendos terram universam convocavit, dicens: « Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos, » *Matth.* xi.

## Vers. 2. 2. A SOLIS ORTU USQUE AD OCCASUM: EX SION SPECIES DECORIS EJUS.

Declarat se per terram non intellexisse terram Palaestinae, vel aliquam aliam particularem, sed omnem omnino terram; et simul explicat locum unde Dominus loqui coepit. Coepit enim ex Sion, sive ex Jerusalem, juxta illud *Isai.* ii: « De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem; » et illud *Luc.* ult.: « Oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die, et praedicari in nomine ejus penitentiam, et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Ierosolyma. » « A solis ortu, inquit, usque ad occasum, » vocavit terram, id est, omnes homines qui habitant terram a principio, ubi sol oritur, usque ad finem, ubi sol occidit. « Ex Sion species decoris ejus, » id est, locutus est Dominus, et vocavit terram ex Sion, quae est species decoris ejus. Porro species decoris significat speciem pulcherrimam, sive perfectam pulchritudinem, ut magis sonant verba hebraica. Erat autem Jerusalem, juxta priorem sensum, *perfecti decoris*, ut dicitur *Thren.* i, quia erat civitas nobilissima, antiquissima, frequentissima, ornata sede regia et pontificia, nec non tabernaculo, arca foederis, et caeteris quae eam caput religionis et regni faciebant: unde etiam typus erat caelestis, ac divinae civitatis. Sed, juxta posteriorem sensum, erat Evangelica praedicatione perfecti decoris, quia continebat mysteria redemptionis, notitiam sanctissimae Trinitatis, sacramenta efficacissima, legem perfectam, et innumerabilibus signis et prodigiis comitata venebat; atque audientes et credentes renovabat et justificabat, et ex ima terra ad summum caelorum exaltabat.

## Vers. 3. 3. DEUS MANIFESTE VENIET, DEUS NOSTER, ET NON SILEBIT.

Nic jam praedicat secundum adventum, quasi dicit: Deus deorum venit et vocavit terram, sed

occulte venit, quia in forma servi, in humanitate, in mansuetudine, ut esset locus redemptioni per passionem et mortem; sed postea « manifeste veniet » in potestate et majestate magna, non in praesepi speluncae, sed in nubibus caeli; non cruci affixus inter latrones, sed in sede iudicis cum omnibus angelis suis. Neque solum manifeste veniet, sed etiam « non silebit, » sicut in primo adventu, quando ut agnus mansuetus ductus ad occisionem non aperuit os suum, et sicut hoc tempore silet, dum peccata fieri videt et tacet; sed veniet cum tuba et clamore horribili: « Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, » *Matth.* xxv. Et « mittit angelos suos cum tuba et voce magna, et congregabunt electos ejus a quatuor ventis, » *Matth.* xxiv. Et: « Ipse Dominus in jussu et voce Archangelum in tuba Dei descendet de caelo, » I *Thessal.* iv. Et: « In novissima tuba, canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti, » II *Cor.* xv. In hebraeo prima illa verba: *Deus manifeste*, conjunguntur cum versu superiore hoc modo: « Ex Sion species decoris ejus, Deus manifestabitur; » et deinde subjungitur novus versiculus: « Veniet Deus noster, et non silebit. » Sed non tenemur sequi distinctionem hebraicam, quae a Rabbini excogitata est: illud autem verbum, *manifeste*, in textu hebraeo ambiguum est, ut possit esse adverbium *manifeste*, et verbum *manifestabitur*; proinde non erraverunt Septuaginta Interpretes, qui per adverbium expresserunt. Quod si Rabbini contendunt vocem hebraicam *הוֹרִיב הוֹפְיָהָא* non posse accipi adverbialiter, dicemus Septuaginta Interpretes reddidisse non verba, sed sensum; idem enim est: *Deus manifeste veniet, Deus noster et non silebit*; et *Deus manifestabitur, veniet Deus noster, et non silebit*.

## 4. IGNI IN CONSPECTU EJUS EXARDESCET, ET IN CIRCUITU EJUS TEMPESTAS VALIDA.

Hec accipiuntur communiter pro conflagratione mundi, id est, eorum omnium quae sunt in terra, civitatum videlicet, hortorum, vinearum, palatiorum, animalium, et similium rerum corruptibilitatem, de quibus dicit S. Petrus in *Epist.* ii, cap. v: « Adveniet autem dies Domini, ut fur, in qua caeli magno impetu transierint, elementa vero calore solventur, terra autem, et quae in ipsa sunt opera exurentur; » de qua conflagratione disputat S. Augustinus lib. xx. *De Civit. Dei*, cap. xviii, et Scholastici in *IV Sentent.* dist. 47. Sensus igitur est: « Ignis in conspectu ejus exardescet, qui exuret omnia quae in terris inveniunt. » Et in circuitu ejus tempestas valida, id est, commotio maxima ex omni parte mundi, tum in terra, tum in mari, tum in aere, tum in caelo, « ascrescentibus hominibus praeter timorem et expectationem, quae supervenient universo orbi, » ut ait B. Lucas, cap. xxi. Tamen S. Augustinus, hunc locum Psalmi exponens, per ignem intelligit iudicium divinum; per tempestatem vero ventum separan-

Adren-  
tas  
Christi  
ad iudi-  
cium ter-  
ribilia.

tem grana a paleis, id est, distinctionem honorum a malis. Alii non male per ignem et tempestatem describi volunt iram Judicis aeterni, cum qua adveniet in novissimo die; vel certe haec omnia signa esse majestatis Dei omnipotentis; nam et quando descendit Deus in montem Sinai daturus legem, mons totus ardere videbatur, et audiebantur tonitrua, et conspiciantur fulgura, et omnino tempestas ingens, et terror maximus, Exod. cap. xix.

Vers. 5. 5. ADVOCABIT CAELUM DESURSUM, ET TERRAM DISCERNERE POPULUM SUUM.

Describit frequentiam eorum, qui in illo quasi theatro intererunt, atque ad spectaculum omnium maximum convenient. « Advocabit, inquit, caelum de sursum, » id est, ex parte mundi superiore advocabit Iudex ipsum caelum, id est, omnes angelos caeli habitatores; sic enim Dominus ait *Matth. xxv*: « Cum venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli ejus cum eo. » Ex parte inferiore « advocabit terram, » id est, omnes homines, qui ab initio mundi usque ad finem per successiones generationum incolerunt terram. Aderunt ergo omnes angeli et omnes homines. Advocabit autem hunc tam magnum conventum, « discernere populum suum, » id est, ad iudicandum populum suum, et segregandos electos a reprobis; nam, ut dicitur *Matth. xiii*: « In conummatione saeculi exibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum. » Et *Matth. xxiii*: « Separabit oves ab haedis, » id est, ea facilitate Iudex caelestis discernet omnes electos ab omnibus reprobis, quamvis prope innumerabiles sint futuri, qua pastor separare potest paucas oves a paucis haedis. Alii existimant advocari caelum et terram in testes divinae sententiae, tanquam immobilis, quomodo alibi saepe in divinis litteris. Prior expositio est S. Augustini, posterior S. Joannis Chrysostomi, quem sequuntur Theodoretus et Euthymius. Utraque est vera, et una alteri non repugnat.

Vers. 6. 6. CONGREGATE ILLI SANCTOS EJUS, QUI ORDINANT TESTAMENTUM EJUS SUPER SACRIFICIA.

Quamvis omnes omnino homines ad iudicium vocandi sint, tamen peculiari ratione iudicium ad fideles pertinet: « qui enim non credunt, jam iudicati sunt, » *Joa. iii*; unde etiam *Matth. xxv*, soli fideles iudicandi introducuntur, et de operibus, non de fide discutuntur. Itaque nomine Sanctorum intelligendi sunt fideles, qui ad populum Dei pertinent, qui per circumcisionem olim Deo consecrabantur, et nunc per baptismum consecrantur; sic David in *Psal. lxxxv*, dicit: « Custodi animam meam, quoniam sanctus sum, » et Apostolus in epistolis suis omnes christianos vocat sanctos. Alloquitur igitur angelos, et dicit: « Congregate illi sanctos ejus, » id est, adducite ad iudicium populum Dei peculiarem, quem sibi per sacramenta sanctificavit; quod enim id per

Omnes angeli et homines divini iudicij intererunt.

Soli fideles iudicandi introducantur a B. Mattheo.

angelorum ministerium faciendum sit, perspicuum est ex cap. xiii *Matth.*: « Exibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum; » et cap. xxiv: « Et mittet angelos suos cum tuba, et congregabunt electos ejus. » Quod sequitur: « Qui ordinant testamentum ejus super sacrificia, » est declaratio vocis Sanctorum; illi enim dicuntur Sancti, « qui ordinant testamentum super sacrificia. » Quae sententia clarior est in textu hebraeo, ubi ad verbum legitur: *Qui faciunt pactum ejus super sacrificia*, id est, qui pactum cum Deo faciunt, ut sint populus ejus, et ipse sit Deus eorum; quod pactum est super sacrificio, id est, super cultu divino, qui praecipue in sacrificiis offerendis consistit. Lectio nostra est paulo obscurior, sed eundem sensum facit; nam per *testamentum*, intelligitur *pactum*, et per *ordinare*, significatur *disponere*. *Disponere testamentum* et ferre pactum idem sunt, ut perspicuum est ex variis locis Scripturae, sed praecipue ex lib. I *Machab.* cap. i: « Eamus et disponamus testamentum cum gentibus quae circa nos sunt; nam ex quo recessimus ab eis, invenerunt nos multa mala. » Igitur sensus hujus versiculi est, congregandos esse ad iudicium sanctos Dei, id est, homines Deo dicatos, « qui ordinant testamentum ejus super sacrificia, » id est, qui testamentum disponunt, et pactum ferunt cum Deo, ut ipsi colant Deum sacrificiis, et Deus sit eorum Deus, eosque beneficiis semper afficiat. In hebraeo codice habetur pronomen primae personae, hoc modo: *Congregate mihi sanctos meos, qui faciunt pactum meum super sacrificio*. Sed Septuaginta Interpreteres in omnibus his vocibus legerunt litteram *vau*, ubi nunc est littera *iod*; facile autem fuit mutari litteram *vau* in litteram *iod*, cum non differant, nisi quod una est paulo longior altera; posita autem in textu littera *vau*, efficitur pronomen tertiae personae, et recte Septuaginta vertunt: *Congregate illi, et sanctos ejus, et testamentum ejus*.

Vers. 7. 7. ET ANNUNTIABUNT CAELI JUSTITIAM EJUS, QUONIAM DEUS IUDEX EST.

Congregatis omnibus ad iudicium, tam demum « annuntiabunt caeli justitiam ejus, » id est, de caelo proferetur sententia in bonos et malos; inde apparebit omnibus quanta sit justitia Dei, quae nunc saepe non apparet, cum permittente Deo justis opprimantur ab iniquis: tunc igitur « annuntiabunt caeli justitiam ejus, » quia de caelo sedens sententiam justissimam proferet, et totum caelum, id est, omnes caelestes assensus et laudibus confirmabunt justam sententiam, ac dicent: « Justus es, Domine, et rectum iudicium tuum. » Neque poterit esse falsa haec caeli annuntiatio, « quoniam Deus iudex est, » id est, quoniam qui iudicabit, Deus est, in quem iniustitia cadere non potest.

Vers. 7.

Vers. 8. 8. AUDI, POPULUS MEUS, ET LOQUAR; ISRAEL, ET TESTIFICABOR TIBI: DEUS, DEUS TUUS EGO SUM.

Transit nunc Propheta ad eruditionem populi, ac docet quae sit futura materia iudicij, id est, quibus de rebus reddenda sit ratio in iudicio, ut unusquisque parare se possit. Atque ut admonitio majorem fidem habeat, Deum ipsum loquentem, et paterne admonentem inducit. « Audi, inquit Deus, populus meus, et loquar; » nisi enim audieris, non tibi loquar, sed aliis qui habent aures audiendi; nam non sine causa Dominus in Evangelio *Matth. xi*, et alibi saepe dicit: « Qui habet aures audiendi audiat; » sicut enim qui surdi sunt, habent aures ad ornamentum corporis, sed non ad audiendum, sic etiam qui mentem habent, sed non attendunt ad doctrinam Dei, habent aures interiores, quasi non haberent. Oportet igitur attentis cogitare et considerare quid dicat Deus, si volumus ut nobis loquatur. Explicat deinde clarius, dum addit: « Israel, et testificabor tibi, » id est, audi, populus meus Israel, et loquar testificando, et notum faciendo tibi, quod tua maxime interest. Per Israel enim non intelligitur solum populus, qui secundum carnem ab Israele descendebat, sed etiam populus christianus, qui fidem israelis imitatur, imo hic maxime per Israel intelligendus est, cum Apostolus dicat *Rom. ix*: « Non omnes, qui ex Israel, hi sunt Israelitae; neque omnes qui semen Abrahae, hi filii; sed qui filii sunt promissionis estimantur in semine. » Quod autem sequitur: « Deus, Deus tuus ego sum, » est ratio cur nos oporteat audire, quia videlicet qui loquitur est Deus, et peculiariter Deus noster; ac per hoc certo scimus illam scire, et velle nobis utilissima praecipua tradere: nam si Deus est, omnia novit; si noster est, amat nos, ac propterea vult utilia nos docere.

Vers. 9. 9. NON IN SACRIFICIIS TUIS ARGUAM TE: HOLOCAUSTA AUTEM TUA IN CONSPECTU MEO SUNT SEMPER.

Summa doctrinae divinae est, Deum non requirere a nobis munera, qualia sacrificia sunt, quasi illis indigeat, vel quasi haec illi praecipue placeant; sed requirere internas virtutes, fidem, spem, dilectionem, obedientiam: propter quas virtutes munera placent, et sine quibus non placent. Id conforme est verbis Samuelis I *Reg. xv*: « Numquid vult Deus holocausta et victimas, et non magis ut obediat voci Domini? » Et *Isaia* cap. i: « Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? dicit Dominus: plenus sum; » etc. Et infra: « Lavamini, mundi estote, » etc. Et Christi ipsius *Matth. xxiii*: « Vae vobis, Scribae et Pharisei hypocondri, quia decimatis mentham, et anethum, et cyminum, et reliquistis quae graviora sunt legis, iudicium, misericordiam, et fidem. » Et denique ipsius Davidis in *Psal. l*: « Si voluisses sacrificium, dedissem utique, holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus;

Deus ex criticis veterum non delectatur.

cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies. » Ait igitur: « Non in sacrificiis tuis arguam te, » id est, non accusabo, vel damnabo te in iudicio, quod pauca mihi sacrificia obtuleris; deinde reddit hujus rei multas rationes, quarum prima est in secunda parte hujus versiculi, quia videlicet, satis multa holocausta sibi quotidie offerantur; nam cum dicit, « holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper, » illud, *autem*, ponitur pro *enim*; nam in hebraeo est particula *et*, quae frequentissime ponitur pro *enim*. Sensus igitur est: Non arguam te de defectu sacrificiorum, quoniam holocausta tua semper inveniuntur in altari meo.

10. NON ACCIPIAM DE DOMO TUA VITULOS, NEQUE DE GREGIBUS TUIS HIROS.

11. QUONIAM MEE SUNT OMNES FERAE SYLVARUM, JUMENTA IN MONTIBUS ET BOVES.

12. COGNOVI OMNIA VOLATILIA CAELI, ET PULCHRITUDO AGRI MECUM EST.

Haec est secunda ratio, cur Deus non magnopere requirat nostra sacrificia, quoniam ipse est rerum omnium Dominus: et ideo si velit oves, aut boves, aut aves, aut aliquid aliud, nullo negotio potest habere, cum ipse omnia noverit, omnia possideat. « Non accipiam, inquit, de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hiros, » id est, non opus est mihi, si velim vitulos, aut hircos, ut illos tibi eripiam, vel a te petam. « Quoniam mea sunt omnes ferae sylvarum, » id est, mea sunt omnia animalia sylvestria, ut cervi, caprae, apris et similia. « Jumenta in montibus et boves, » id est, mea sunt etiam omnia animalia quae pasuntur in montibus, ut oves, caprae, arietes, hirci, boves et vituli. « Cognovi omnia volatilia caeli, » id est, sed etiam omnia quadrupedia mea sunt, sed etiam omnes volucres caeli, quos ego novi ubi sunt, et ad quid prosint. « Et pulchritudo agri mecum est, » id est, non solum animalia, sed etiam omnes fructus terrae, ex quibus agri pulchri et divites redduntur, apud me sunt, ut mihi placeat; vel apud me est, id est, omnis perfectio agri, cum omnibus frugibus, arboribus, animalibus, fontibus et ceteris rebus, mecum est ab aeterno eminenter in essentia mea consistens, ut mihi opus non sit ad ista exteriora descendere. In hebraeo, pro illa voce *jumenta*, est vox *בהמות* *behemoth*, quae vox significat animalia generatim, et non solum *jumenta* proprie dicta; nam *Psal. viii*, eadem vox habetur, ubi noster Interpres vertit, *pecora campi*; et *Ps. cxlviii*, ubi legitur, *universa pecora*, eadem etiam vox reperitur. Illud autem, *in montibus et boves*, ex hebraeo verti posset, *in montibus mille*; nam vox hebraica *אלף* *aleph*, quae hic habetur, significat et *bovem* et *mille*. Itaque Septuaginta Interpreteres non male vertunt *boves*, quamvis S. Hieronymus

Vers. 10.

Vers. 11.

Vers. 12.

Omnia  
zinnia  
Dei sunt.

vertit millium; sed utraque lectio verum sensum habet: nam secundum lectionem S. Hieronymi sensus est, *neq[ue] esse animalia innumerabilia quae in montibus mille*, id est plurimis, *inveniuntur*; secundum lectionem Septuaginta, sensus est, *Dei esse animalia quae libere vagantur in montibus, et etiam boves qui in praeseptibus detinentur*; et quoniam in textu hebraico, ut nunc legitur, illud, *in montibus bovis*, quae verba non videntur aptum sensum reddere, suspicor Septuaginta Interpretes non *לגיסה בהררי אלה* *beharere heleph, in montibus bovis*, sed *בהררי אלה* *beher eheleph, in monte et bos*, unica littera paululum immutata, id est, *iod* mutata in *oem*, quae sunt litterae simillimae, quod facile contingere potuit vtilio librariorum; sed explicandi gratia Septuaginta posuerunt numerum multitudinis pro *stipulari*, et pro *in monte et bos*, posuerunt in *montibus et boves*. Illud autem, *cognovi omnia volatilia caeli*, S. Hieronymus ex hebraeo vertit, *cognovi omnes aves montium*; et vere vox hebraea non *caelum*, sed *montes* significat; neque est similitudo litterarum inter vocabula, ut errore librariorum suspicari possimus. Sensus tamen idem est, nam *volatilia caeli* et *aves montium* idem sunt; dicuntur enim *volatilia caeli*, quia per caelum aereum discurrunt, et *aves montium*, quia in arboribus montium ut plurimum nidificant. Illud denique, et *pulchritudo agri*, vertitur a S. Hieronymo, et *universitas agri*: vox autem hebraica *וץ זא*, est omnino ambigua; nam Septuaginta hoc loco reddiderunt *pulchritudo*; in *Psalm. cix* reddiderunt eandem vocem, *singularis ferus*; *Isai. lxxvi*, eandem vocem transtulerunt, *introitus*. Sanctus autem Hieronymus hoc loco reddidit *universitas*; in *Psalm. lxxix*, *omnes bestiae*; *Isai. lxxvi*, *omnimoda*. In hac tanta varietate tutissimum est auctoritatem Septuaginta Interpretum sequi, a quibus quoad sensum S. Hieronymus non dissentit. Siquidem *pulchritudo agri ex universitate agri*, » id est, ex universis fructibus agrorum, consurgit.

Vers. 13. 43. SI ESURIERO, NON DIGAM TIBI : MEUS EST ENIM ORBIS TERRAE, ET PLENITUDO EIUS.

Vers. 14. 14. NUMQUID MANDUCABO CARNES TAURORUM? AUT SANGUINEM HIRCORUM POTABO?

Hæc est tertia ratio, cur Deus non requirat nostra munera propter suam necessitatem, vel utilitatem, quia videlicet non esurit, neque silit; et consequenter non calet, neque friget, neque ulla re indiget; et si indigeret, omnia illi presto essent, quia Dominus est omnium rerum. « Si esuriero, inquit, non dicam tibi, » ut cibum videlicet mihi provides, quia « meus est orbis terræ, et plenitudo ejus. Numquid manducabo carnes taurorum? aut sanguinem hircorum potabo? » id est, non vescor ego ejusmodi rebus, qui substantia sum spiritualis et immortalis.

15. IMMOLA DEO SACRIFICIUM LAUDIS, ET REDDE ALTISSIMO VOTA TUA.

16. ET INVOKA ME IN DIE TRIBULATIONIS: ERUAM TE, ET HONORIFICABIS ME.

Docuit hactenus non esse spem ponendam in externis sacrificiis, quasi illa sine interiori cognitione et amore sufficiant: nunc docet in internis actibus virtutum consistere sacrificium, quo delectatur Deus, et quod nos in iudicio ultimo securus præstare poterit. Sed observandum est aliud esse laudem Dei, aliud sacrificium laudis. Potest enim laudari Deus ab iis qui labiis solis Deum honorant, sed non potest sacrificari laus, nisi ab iis qui in ara cordis, et cum igno charitatis thus laudis offerunt, id est, nisi ab iis qui credant, et aliquo modo apprehendant Deum esse summum bonum, quique Deum sine creditum et cognitum toto corde diligunt, et tanquam pulcherrimum, optimum, sapientissimum, admirantur et laudant. Itaque sacrificium laudis, signum et effectus est cognitionis et amoris, et quia beati in coelo semper Deum vident et amant, ideo da illis dicitur *Psalm. lxxxii*: « Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. » Ait igitur: « Immola Deo sacrificium laudis, » id est, non solis labiis, sed ex intima cognitione et amore Deum lauda. « Et redde Altissimo vota tua, » id est, posteaquam Deum, ut est in se, laudasti, respice illum, ut est auctor et fons omnium honorum tuorum, quia ex te nihil es, et redde illi gratiarum actionem, et solve tributum obedientiæ, quod est præcipuum votum inter omnia vota tua: hoc enim promististi, cum ad populum et familiam ejus admissus es, et hoc ipse requirit magis quam externa sacrificia: « Melior enim est obedientia quam victimæ, » ut dicitur *1 Reg. xv*. Denique « invoca me in die tribulationis, » id est, sicut in die prosperitatis agnoscere debes omnia bona tua a me fonte honorum descendere, sic etiam in die prosperitatis ad me confugere, et in me spem tuam totam collocare debes: ego enim « eruam te » de omni tribulatione, « et tu vicissim honorificabis me » sacrificio laudis et gratiarum actionis.

17. PECCATORI AUTEM DIXIT DEUS : QUARE TU ENARRAS JUSTITIAS MEAS, ET ASSUMIS TESTAMENTUM MEUM PER OS TUUM?

Post instructionem justorum, pergit Psalmus ad eruditionem iniquorum, sed fidelium. « Peccatori, inquit, dixit Deus, » id est, peccatorum Deus per me admonitum voluit: « Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? » id est, quare profiteris te scire legem meam, ut enares præcepta mea, in quibus omnis justitia continetur, et profleris etiam ad te pertinere testamentum, sive pactum meum, dum te filium Abrahæ esse gloriaris, cum neque

legem meam serves, neque pactum custodias, neque vestigia Abrahæ imiteris?

18. TU VERO ODISTI DISCIPLINAM, ET PROIECISTI SERMONES MEOS RETRORSUM.

Describit primum interna vitia iniquorum, deinde in sequentibus versiculis enumerat peccata operis et oris. « Tu, inquit, odisti disciplinam, » id est, adversaris animo eruditionem divinam legis, « et projecisti sermones meos retrorsum, » id est, et factus es, quasi oblitus esses præcepta mea, eaque post tergum haberes.

19. SI VIDERAS FUREM, CURREBAS CUM EO; ET CUM ADULTERIS PORTIONEM TUAM FONEBAS.

Ex oblivione et odio divinæ legis nascuntur peccata operis, qualia sunt furta et adulteria, quo nomine fornicationes quoque intelliguntur. Sunt autem hæc duo peccata frequentissima, quæ ex avaritia et luxuria oriuntur; ideo horum duorum memini Propheta; dicit autem: « Si videbas furem, currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas, » et non dicit *farabaris*, vel *fornicabaris*, quoniam minus est furari, vel mochari, quod occulte et libidine stimulantem fieri solet, quam cum furibus concurrere, vel cum adulteris portionem ponere, quia ista sunt palam et prompte, et ex animi perversitate potius quam ex inopia vel libidine.

20. OS TUUM ABUNDAVIT MALITIA, ET LINGUA TUA CONCINNABAT DOLOS.

Transit ad peccata oris ac dicit: « Os tuum abundavit malitia, » id est, abundanter ex ore tuo, tanquam ex fonte scaturivit maledicentia; nam verbum hebraicum *shalach* significat *dimittere*, quasi dicat: Dimisisti linguam tuam quasi ruptis habenis in omnem maledicentiam; sed Septuaginta Interpretes declaraverunt metaphoram. « Et lingua tua concinnabat dolos, » id est, loquebaris apposite ad fallendum, adhibens artificium dissimulationis, vel mendaciorum.

21. SEDENS ADVERSUS FRATREM TUUM LOQUEBARIS, ET ADVERSUS FILIUM MATRIS TUE PONEBAS SCANDALUM: HÆC FECISTI, ET TACUI.

Addit ad peccatum oris, quod non solum adversus extraneos, sed etiam proprios fratres per linguam deliquerit. « Sedens, inquit, adversus fratrem tuum loquebaris, » id est, non obiter et per iram, sed sedens otiosus, et peccato animo, studiosè et longo tempore detrahebas fratri. « Et adversus filium matris tuæ, » id est, adversus eundem fratrem scandalum ponebas, calumnias struendo, unde ille offenderetur, et ruinæ occasionem haberet. In textu hebraico habetur vox *דאפי*, quæ proprie *approprium*, sive *probrum*, aut *convictum* significat. Sed Septuaginta Interpretes scandalum verterunt, aut quia vox illa scandalum etiam significat, aut quia *probrum*

jaclatum in alium, scandalum illi sit. Quod sequitur: « Hæc fecisti, et tacui, » apud Hebræos ad sequentem versiculum pertinet. Sed non est magnificandi interpunctio hebraici textus, cum a Rabbini excogitata sit; significat autem illa verba Deum hoc tempore omnia videre, sed non omnia statim punire, ut det locum penitentiae. Itaque videt et tacet, ac si non videret; cæterum venit brevi dies iudicii, in quo, ut supra dictum est vers. 3: « Deus manifeste veniet, et non silebit; » et hoc idem subjungit, cum ait:

22. EXISTIMASTI INIQUE, QUOD ERO TUI SIMILIS; ARGUAM TE, ET STATUAM CONTRA FACIEM TUAM.

Dum sine timore Dei peccant impii, videntur existimare Deo non displicere peccata; sed in iudicio intelligent, quod in hoc Psalmo dicitur. « Existimasti, inquit, quod ego essem tui similis, » id est, quod iniquus essem et peccatorum amicus, sed non ita est; imo « arguam te, » in die iudicii, « et statuam contra faciem tuam » peccata tua, id est, faciam ut videas gravitatem et multitudinem peccatorum tuorum, et negare non possis sententiam contra te latam esse justissimam. In hebreo habetur: *Statuam te contra faciem tuam*; sed idem est sensus. « Statuam contra faciem tuam, » nihil est aliud nisi: Statuam vitam tuam, actiones tuas, peccata tua ante oculos tuos, ut non possis ea non videre.

23. INTELLIGITE HÆC, QUI OBLIVISCIMINI DEUM, NE QUANDO RAPIAT, ET NON SIT QUI ERIPIAT.

Hæc exhortatio est Prophætæ ad impios qui obliviscuntur Deum esse judicem justum et omnipotentem, ut intelligant, attentam consideratione recogitantes, quæ dicta sunt. « Ne quando Deus rapiat eos, » dum nihil minus cogitant, et ad iudicium adducat, et pro meritis damnet, et non sit qui de manu ejus eripere possit. In hebreo habetur in prima persona, *ne quando rapiam*, et secundum hanc lectionem continuantur verba Dei; sed Septuaginta Interpretes videntur legisse in tertia persona, et sensus est idem.

24. SACRIFICIUM LAUDIS HONORIFICABIT ME, ET ILLIC ITER QUO OSTENDAM ILLI SALUTARE DEI.

Concludit Deus verba sua, docens viam salutis ad unum sacrificium laudis reduci, ita ut illi in die iudicii salvi futuri sint, qui hoc sacrificium jugiter obtulerint; illi reprobi et condemnandi, qui hoc sacrificium offerre neglexerint. « Sacrificium laudis, inquit, honorificabit me, et illic iter quo ostendam illi salutare Dei, » id est, qui sacrificaverit laudem mihi, ille mihi acceptus erit; nam ab eo me honorificatum esse confitebor, « et illic, » id est, in eo sacrificio, « iter » erit, ad salutem; nam per illud iter perveniet ad locum, in quo « ostendam illi salutare Dei, » divinam videbit, plenam atque perfectam salutem. In hebreo est vox ambigua, *סלום* *som*, quæ significat *illie*,

Sæpe  
cumque  
dicitur  
et  
Iam  
dicitur  
est  
vna.

Peccata  
frequentissima,  
luxuria  
et avaritia.

Vers. 10.

Vers. 22.

Vers. 24.